

bere sufficere, nisi hoc, vel aliquid hujusmodi addat, ut dicat, Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luninum, a quo descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum (Jacobi 1, 17), sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine (Jerem. xvii, 5); et bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine (Psal. cxvii, 8); quoniam beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, servite Domino in timore, et exultate ei in tremore (Psal. ii, 11). Quoniam de vita æterna, quam filius promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram (Job vii, 1): sed faciet nos perseverare in se usque ad hujus vitæ finem, cui quotidie dicimus, « Ne nos inferas in tentationem » (De dono Perseverantiæ n. 62). Videtisne, obsecro, quantum distet hic sermo ab eo quem composuit malignitas obloquentium; qui studuerunt etiam ea quæ recte dicit, exquisita verborum fraude corrumpere? De quo idem doctor rectissime ait: *Dolosi autem vel imperitii medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit* (Ibid., n. 57). Et iterum de simili ine-

ptia: *Nempe, inquit, hoc verissimum est, ita sane, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum; non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humane infirmitatis appposito* (De dono Perseverantiæ, n. 61). Non igitur necesse est de his rationem reddere, quæ et ab aliis dicta, et ab ipso ostendimus improbata: ita tamen, ut nihil sibi per falsorum admixtionem præcipi pateretur ex veris. Quamvis enim nunquam tam insipienter locutus sit ad populum christianum, et id quod mendax obtretractio ineptissime finxit, horruerit, pia tamen constantique doctrina abundanter probavit, prædicandam esse Ecclesiæ et prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio; et gratiam, in qua est prædestinationis effectus; et præscientiam Dei, quæ ante secula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit. Cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor. Hoc autem quod in fine posuistis, superiori capitulo, ubi Tyriorum et Sidoniorum mentio facta est, debuit copulari: quia etiam in libri corpore, eidem causæ, sine cujusquam diversæ disputationis interjectione, conexum est. Unde et responsio, quam præcedentibus subdidi, potest etiam ad ista sufficere: in quibus nulla est obscuritas, si de fide prædestinationis et gratiæ Dei, ex qua est omnium bonorum origo perseverantiaque meritorum, hoc teneatur, quod habet veritas.

## PROSPERI AQUITANI IN AUGUSTINI OBTRACTATOREM EPIGRAMMA.



Contra Augustinum narratur serpere quidam  
Scriptor, quem dudum livor adussit edax:  
Qui caput obscuris conlectum ulcumque caverna,  
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.  
Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni (a),  
Aut hunc Campano gramine corda tument (b).

IN EUMDEM, AUT ALIUM QUEMPIAM OBTRACTATOREM.

Quidam doctiloquo libros senis Augustini  
Carpere, et adversum condere fertur opus.  
Usqueadeone bonum ingenium, et facundia dives  
Ostentare artem non aliter potuit,  
In nova prostratas acies nisi bella cieret,  
Impiæque extinctis hostibus arma daret?  
Hæc pugna, incensor, mors est tua; te stilus iste  
Conficit, et verbis perderis ipse tuis.

(a) Pelagius Brito. — (b) Juliani a Campania.

Quæ concepta fovet, promat; quæ parturit, edat:  
Seu vetere armatur dogmate, sive novo.  
In quoscumque sinus spirarum torqueat orbes,  
Et fallax multa contegat arte cajut;  
Currentem atrites super aspidas et basiliscos  
Declinare senem super viperam non poterit.

Domque doces quantum valeat mens libera, monstras  
Velle tuum tibinet sufficere ut jereas.  
Verte gradum, fuge perniciem, stratosque rebelles  
Oris apostolici fulmine ubique vide.  
Nec te mutato defendi nomine credas:  
Si pastorem ovium ledere vis, lupus es.

## ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Sententias in editis codicibus trecentas et nonaginta complectitur. Priores triginta septem, aliæque inter subsequentes perpaucae, decreptæ sunt ex ipsius Prosperi Commentariis in Psalmos: ceteræ autem ex operibus Augustini; cujus sancti Doctoris cum verba nonnunquam mutata esse deprehendamus, eam ob causam optimum factu judicamus, si moneamus ut inspiciantur ea loca, e quibus mens Augustini magis est expressa quam dictio. Id vero præstamus, hujus generis sententiis subscripto verbo, Vide. Colbertinus codex notatus 393 (quod unum istius libri exemplar manu scriptum reperire nobis licuit, nec ipsum admodum vetus), sententias septuaginta sex, non plures, representat; scilicet octodecim primas, et, ommissa decima nona, vigesimam, vigesimam primam, et alias ex subsequentium seri: selectas; cum hæc ad illas prævia annotatione. *Prosper iste Equitanus fuit Tolonenis civis, qui relictis rebus sæcularibus, ad divina se omnino negotia transtulit, et quasdam ex beati Augustini sententiis carpens, istum librum composuit*, etc. Plures ex hoc libro sententiæ inter Arausicani secundi concilii canones relatæ sunt; et permulte sub nomine Prosperi citantur a Floro seu Beda vulgato in Paulum. Quibusdam etiam ex his sententiis usus est ille, qui Zephyrini, Callisti I et aliorum Romanorum Pontificum decretales epistolas confixit.